

et recedere quo uoluerint absque diminutione omnium rerum suarum, tam domibus suis venditis, quam alijs suis necessarijs. Preterea concessimus iisdem, quod si quis sine herede decesserit ex ipsis, possit libere pecuniam suam et omnia quaecunque habuerit cuicunque voluerit, siue cognatis suis, siue pro remedio anime..... Item constituimus eis, quod nobis de qualibet porta quatuor pondera persolvere cum statera loci teneantur, siue plurime sint posite mansiones in vna curia. Preterea constituimus quod nullus Iudex in causis eorum ipsos possit iudicare, nisi solummodo villicus eorum pro tempore constitutus, cum ciuibus ville eiusdem cum Iuratis, qui quidem coniurati ad facienda Iudicia fuerint computati (compuocati) seu destinati. Preterea statuimus eis iuxta libertatem ipsorum, vt in maiorem ville vnum ex ipsis quem voluerint eligant, et nos confirmamus, relinquentes hoc in voluntate ipsorum, vt annuatim probato termine (sic) maioris ville eorum deponere possint. Statuimus eciam eisdem, vt tributum in nullo loco dare teneantur extraneo. Item constituimus eis concedentes, quod neque equos, neque curus, qui *powoz* vocantur, nec legaciones defere, nec victualia aliqua, nisi vna die pro munere, nec victualia Bani, que *Zalusina* vocantur, dare teneantur. Et vt hec talis a nobis concessa libertas non possit reuocari, consensu et consilio omnium Iobagionum nostrorum, videlicet Iule Bani filioque eiusdem Iule magistri Thauarnicorum, Nicolai Comitis de Zala, Opoy Comitis de Symigio, Georgij Comitis de Wolko et aliorum, literas nostras sigilli nostri munimine roboratas dare concessimus. Datum anno ab Incarnatione Domini Millesimo CC^o tricesimo quarto.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc. 590. N. 19.

XLIX.

Anno 1239.

Potestas Ducis Slavoniae ad Comitatum etiam Valkoviensem extenditur, atque apparet, eundem Comitatum secundum consuetudinem regni Slavoniae decimas marturinarum pendere debuisse.

Nos Bartholomeus, D. gr. Quinqueecclesiensis Episcopus, totumque ejusdem loci Capitulum, omnibus praesens Scriptum cernentibus, salutem in Domino. Quum omnium habere notitiam atque memoriam et in nullo penitus dubitare, potius sit Divinitatis, quam humanitatis; hinc est, quod priorum, posteriorumque per praesens Scriptum transmittimus notitiae, quod, quum controversia inter excellentissimum dominum nostrum Colomannum Regem et totius Sclavoniae ducem,